



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

5. Februarii. Absit, vel nocte una sub eodem tecto cùm illo commorari, cujus animam gravi peccato noxiam noveris. S. Ignat. vitæ l. 4. n. 35.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



ferocior fit, sic interdum mutila cupiditas violentius trahit. Ignis si modicò solùm rore impetatur, vehementiores in flammæ assurgit. Bonum ex integra causa.

Nec unò domitò affectu pacem meditare, vivunt alii, qui te malè perdant. Quid interest unum, alterúmve cecidisse, cum plures supersint! Unus sat est miseræ. Nihil securitatis est pauciores inter hostes versari. Unus sufficit, ut vincaris.

Orare, ut longè facilius est, quàm se impugnare; ita hoc præ illo laudabilius. Quanquam nemo vir erit magnæ orationis, nisi paris fuerit mortificationis.

### 5. Februarii.

*Abfit, vel nocte una sub eodem tecto cùm illo commorari, cujus animam gravi peccato noxiam noveris. S. Ignat. vitæ l. 4. n. 35.*

**Q**Uò momentò anima peccato consentit, elongatur à Deo, majúsque Deum inter, & peccatorem, quàm cælum, & terram intercedit intervallum. Quem ita odit, ita fugit Deus, quàm tu amare & cum eo agere possis?

Quan-



Quantò vehementior Dei amor peccator occupat, tantò acerbior odisse debet ejus inhonoratorem, imò parricidam. Amicus Dei, hujus inimicorum amicus esse non potest. Qui peccatorem non odit, Deum non amat.

Trahuntur ex conversatione mores, & mali etiam nolentibus vitia sua affricant.

Longè proniùs est, ut à malo bonus quàm à bono malus sua in consilia, & mores inducatur.

Ut cum pesti afflato nemo prudens habitaverit, sic amicitia, & mora omnis dissolvenda est cum eo, qui per peccatum factus est Deo, Angelis, bonisque omnibus abominatio.

## 6. Februarii.

*Curas in mensem, vel annum imminentes mittis? heu me! unde tibi tam diuturna vita fiducia? S. Ignat. vitæ l. 4. §. 30.*

**Q**uotidiana sunt humanæ caducitatis testimonia, & super tam fragile fundamento improvidi nescio quas machinas machinamur! nemo sibi tutò crastinum polliceri cùm possit, ita vivendum, tanquam hodie morituris.